UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Exempla animalium, quæ absq[ue] concubitu procreantur, n. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

detorſerit. Nec illud ſilentio inuoluam, adeò exploratum apud veteres fuiſſe vaticinium in hoc Virgilij egloga ex Sibylla Cumæa deſumptum, ad Chriſtum pertinere, vt Secundianus vir eloquentiſſimus præfecti aſſeſſor, qui prius multos Chriſtianorum excruciauerat, & Marcellianus Orator olim Chriſtianorum hoſtis, & Verianus Pictor hunc Virgilij locum tractantes, & de Chriſto in eo agi apertè videntes, fidem Chriſtianam non tantum amplexi ſint, verum etiam pro eadem ſub Decio Imperatore illuſtre martyrium ſubierint. Rem geſtam narrat breuiter Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib 7. cap. 41. & fuſius reperitur deſcripta apud Surium 9. Auguſti, quo die in Martyrologio memoria eorum recenſetur. Virgilij carmina, quæ virginitatem Deiparæ indicant, hæc ſunt.

Petr. de Natal.

Sur. tom. 4 Martyr. Rom.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo dimittitur alto.

Nec Sibyllis ſolum, ſed nonnullis etiam alijs gentilibus Deus optimus cognitam voluit Deiparæ virginitatem. habetur enim in hiſtorijs à Paulo Diacono Sigiberto, & alijs conſcriptis, vt refert S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Conſtantini tempore, & Helenæ, ut ait S. Thomas, ſeu potiùs Irenes, inuentum fuiſſe ſepulchrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore cum hac inſcriptione, *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum, ô ſol ſub Irene, & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* Et Carnuti in Gallia Druides ſapientiſſimi aram, vt cap. 5 diximus, dicarunt cum hac inſcriptione, *Virgini parituræ.* Et quoniam Ieremias, ut refert S Epiphanius in vitis Prophetarum Ægyptijs prædixerat ſuorum ſimulachrorum ruinam, *Vos Ægyptum,* inquit, *aſcendet cum ſuo infante, Virgo enixa Deo ſimilis.* ita Epiphanius. Ex hoc vaticinio ferunt Ægyptios, vt teſtatur Caniſius libro 2. de B. Virgin cap. 17. Virginem in lecto, & infantem in præſepi paſſim collocare, ſimulque adorare ſolitos, & Rodericus Sanctius in hiſtoria Hiſpanica part. 2. cap. 40. narrat à Iudæo librum vetuſtiſſimum repertum, dum vineam foderet, in quo triplici lingua ſcriptum erat, *Filius Dei naſcetur ex Virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur,* quod fuſius cap. 4. deſcripſimus.

Paul Diaconus. Sigibert. D. Thom. Clemens ex Genebrardo circa annum 782. Druides Carn.

Epiphan. Apud Ægyptios lex vaticinio Ieremiæ.

EXEMPLA ANIMALIVM, QVÆ
abſque concubitu producuntur.

11. QVin etiam exemplis naturalibus animalium, quæ abſque ſexus commixtione procreant, fœcundam Deiparæ virginitatem auctori naturæ neutiquam impoſſibilem aliqui Patres Ethnicis perſuadere conantur.

Et quamuis Ambroſius lib. 1. de Virginibus eas Apibus aſſimilet, *Digna,* inquit, *virginitas, quæ apibus comparetur, ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens. Rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit* qui pergit hæc omnia virginibus accommodare ea tamen ratione, qua apes abſque concubitu multiplicantur, optima ſimilitudo duci poteſt ad Deiparæ fœcunditatem virgineam aliquo modo oſtendendam.

Ambroſ. Virgin. ac Deipara exemplis naturalibus probatur eſſe poſſibilis.

De hac verò apum incorruptione Virgilius lib. 4. Georgic. eleganter ſic cecinit, vbi etiam earum procreationem indicat.

Ex Apibus Virgilius.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem.
Quod nec concubitu indulgent nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt,
Verum ipſæ folijs natos, & ſuauibus herbis
Ore legunt.

Ambroſius lib. 5. Hexamero. 10. ex vulturibus, quos ſine maſculorum ſemine concipere, & generare teſtatur, argumentum ad Deiparæ virginitatem Ethnicis ſuadendum, ſic ducit per admirationem, *impoſſibilene,* inquit, *putatur in Dei matre, quod in vulturibus poſſibile non negatur? Auis ſine maſculo parit, & nullus refellit, & quia deſponſata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæſtionem.* ita Ambroſius. Id quod ante Ambroſium animaduertit Baſilius homil. 8. Examer. vbi ait, *Vultures magna ex parte parere ſine coitu, ova ſubuentanea fœcunda ferre, & eſſe longiſſima vitæ, quibus ad centenos vſque annos plerumque vita protenditur,* ex quo gentibus oſtendit Dei virtute potuiſſe Virginem parere, virginitate illibata permanente.

Ex Vulturibus. Ambroſ.

Baſilius.

Ruffinus in ſymbolo Apoſtolorum ex aue illa, quam Phœnicem vocant ad idem oſtendendum exemplum ducit, *Quid,* inquit, *mirum videtur, ſi Virgo conceperit, cum Orientis auem, quam Phœnicem vocant, ita tantum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, ut ſemper & una ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat.* hæc ille.

Ruffinus ex Phœnice.

Aliud

Aliud quoque exemplum fœcunditatis virgineæ, quæ in Deipara inuenitur nobis ſuppeditant Equæ in Cappadocia, & in quadam parte Hiſpaniæ, quarum hoc loco nequaquam meminiſſem, niſi graues Auctores id ſcriptis prodidiſſent.

Auguſt. S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 5. inter complura naturæ admirabilia, quæ recenſet, & hoc inſerit: *In Cappadocia*, inquit, *perhibent vento Equas concipere, eoſdemq́ fœtus non amplius triennio viuere.* ſic ille. Quod ipſum teſtatur *Solinus.* Solinus in deſcriptione Capadociæ. Sed & complures aſtruunt, Equas vento fauonio, *Virgilius.* ſeu zephyro concipere. ita Virgilius lib. 3. Georgic. loquens de conceptu Equarum verno tempore.

Illæ ore omnes verſæ in zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantq́ leues auras: & ſæpè ſine vllis
Coniugijs vento grauidæ (mirabile dictu.)

Plinius. Cui conſentit Plinius lib. 8. cap. 42. *Conſtat*, inquit, *in Luſitania circa Olyſſiponem oppidum, & Tagum amnem Equas fauonio flante obuerſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri & gigni perniciſſimum, ita ſed triennium non excedere.* *Varro.* Varro lib. 2. de re ruſtica cap. 1. *In fetura*, inquit, *res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania, vbi eſt oppidum Olyſſippo monte tagro quædam è vento concipiunt certo tempore Equæ harum pulli non plus triennium viuunt.*

Columel. Columella lib. 6. cap. 27. aſſerit hoc eſſe notiſſimum, & accidere in ſacro monte. Hiſpaniæ, qui procurrit in Occidentem iuxta Oceanum. Quare his exemplis rectè oſtenditur diuinæ potentiæ non repugnare Deiparam virginitate illibata permanente, de Spiritu ſancto concepiſſe.

Auguſt. Ex radio ſolis in ſpeculo. Auguſtinus quoque ſerm. 3. Aduent. ad virginitatem Deiparæ confirmandam, ex ſolis radio exemplum adducit: *Solis*, inquit, *radius ſpecula penetrat, & ſoliditatem eius inſenſibili ſubtilitate pertranſit, & talis videtur intrinſecus qualis extra. Itaque fratres nec cum ingreditur violat nec cum egreditur diſſipat quia ad ingreſſum, & regreſſum eius ſpeculum integrū perſeuerat; ſpeculum ergo non rumpit radius ſolis; integritatem Virginis ingreſſus, aut regreſſus nunquid vitiare potuit Deitatis?* ſic Auguſtinus.

Hieron. Ex margarita in concha marina. Hieronymus verò epiſt. 22. Margaritæ, quæ in concha gignitur, exemplo vtitur: *Lego de ſpinis roſam, de terra aurum, de concha margaritam: concha enim ſolo cœleſti rore perfuſa margaritam gignit.* ita Hieronymus.

Damaſ. Pſal. 97. Similiter & Damaſcenus orat. 1. de Natiuit. eleganter conchæ proprietatem Deiparæ virginitati accommodat: *Lætentur*, inquit, *cœli, & exultat terra, commoueatur mundi mare, in ipſa enim concha gignitur quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Chriſtum ingentis pretij vnionem pariet; ex qua Rex gloriæ carnis purpura conueſtitus, ad captiuos ſe conferens, remiſſionem, ac veniam prædicabat.* hæc ille. Spectans ad purpuram, quæ eſt ex concharum genere, ex qua regiæ dignitatis indumentum conficitur.

Ambroſ. Denique Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium Papam hoc ipſum confirmat alijs exemplis ex ſacris litteris petitis: *Non excedit*, inquit, *fidem quod homo exiuit de Virgine quando petra fontem profluum ſcaturiuit, ferrum ſuper aquas natauit, homo ſuper aquas pedibus ambulauit.* *Exod. 14.* *Ergo ſi hominem vnda portauit, non potuit hominem Virgo generare? at quem hominem, de quo legimus, Emittet illis Dominus hominem, qui ſaluos faciet eos & notus erit Dominus Ægyptiis.* hæc Ambroſius.

S. Ambroſ. Pſal. 21. Idem S. Ambroſius in Pſal. 21. exponens illud eiuſdem Pſalm. *Ego autem vermis ſum, & non homo*, aliud exemplum ex vermi, qui non ex ſemine gignitur, affert, cui propterea Dominus ſe comparat, quod etiam aſtruit Euthymius in eundem Pſalm. vt cap. 23. dixi. verba *Euthym. Exod. 4. 1. Reg. 24.* Ambroſij hæc ſunt, *Cur totius Dominus creatura vermiculo ſe voluerit comparari? poſſumus hoc quidem humilitati primitus aſſignare, quæ ſanctorum virtus eſt maxima ſicut ſanctus Moyſes ante Deum mutum ſe animal profitetur: Dauid pulicem ſe ſæpe commemorat; ſed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinſecus admixtione alieni corporis, ſed de ſola, & pura terra procreatur, ideò illum comparatum* *Exod. 16.* *Domino, quoniam, & ipſe Saluator de ſola, & pura Maria generatur. legimus etiam in libris Moyſi, de manna vermiculos procreatos, digna planè, & iuſta comparatio, ſiquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Chriſtus de Virgine procreatur. Quin potius ipſam Mariam,* *Deipara Mannæ comparatur.* *Manna dixerim, quia eſt ſubtilis, & ſplendida, ſuauis, & Virgo quæ velut cœlitus veniens, cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle, deſtuxit Chriſtum, quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in ſemetipſo habere non poterit.* ſic Ambroſius.

Bernard. Virgo matrem Deum decebat.

21. *Et quidem Deum*, inquit Bernard. hom. 2. ſuper miſſus eſt, *huiuſmodi decebat natiuitas qua non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & virgini partus, vt non pareret niſi Deum.* Idem ſer. 4 de Aſſumpt: *Neq; filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter.* ſic Bernar.

S. Ignat.

S. Ignatius epiſt ad Heronem: *Adæ corpus,* inquit, *ex quatuor elementis confectum eſt, Euæ corpus ex ipſius Adæ latere, & inſolens, admirandusq; partus ille Domini ex ſola Virgine; nō quod deteſtanda ſit legitima commixtio; ſed quod huiuſmodi partus decebat Deum, decebat namque creatorem non conſueto, ſed peregrino, & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.* hæc ſanctus Ignatius.

Auguſt.

Auguſtinus libro de Aſſumpt. *Humilitatis,* inquit, *naturam ſumens de ſanctificato corpore, & immaculatam de immaculato; non enim talis conceptus, taliſq; partus, niſi Deum decuerat qui venerat redimere quos voluit creare, creare profectò poteſtate, redimere humilitate.* hæc Auguſtinus.

S. Antoninus. Virginitati Mariæ tribuuntur inter alia quod de congruo meruit eſſe matrem Dei. Offic. Eccl. S. Thom. Caniſius. Ambroſ. Hieron. Chryſolog.

Et certè S. Antoninus 4 part. tit. 15. capit. 20. §. 8. ait Virginem de congruo meruiſſe fieri matrem Dei, meritò ſuæ fidei, ſpei, charitatis, ac perfectiſſimæ humilitatis, & Eccleſia canit: *Quia quem meruiſti portare reſurrexit.* de quo S. Thomas 3. par. quæſt 2. art. 11. ad 3. verùm hoc meritum de congruo virginitati etiam eius adſcribunt complures Patres, quos affert Caniſius lib. 2 de B Virgine cap. 16. & inter alios Ambroſius epiſtol. 82. *Quanta,* inquit, *ſit virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto elegi, vt eſſet etiam corporale Dei Templum.* & Hieronymus epiſtol. 22 ad Euſtochium, *Tanta,* inquit, *puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater filij Dei.* Hinc eſt quod ex hac conceptione, & partu filij Dei Virgo puriſſima euaſit. quare Chryſologus ſermone 142. *In tuo,* inquit, *conceptu, in tuo partu creuit pudor, & aucta eſt caſtitas, integritas roborata eſt, & ſolidata virginitas; omnes perſeuerauêre virtutes.* ita Chryſologus.

Ildefonſus Chryſoſt.

Idem habet Ildefonſus ſermo. 5. de Aſſumptione, quem infra citabimus, & Chryſoſtomus ſermone de B. Virgine: *Cum enim,* inquit. B. *Maria ſupra omnem humanam naturam caſtitatem ſeruaret, propterea Chriſtum Dominum in ventre ſ conceperit.*

Bernard.

& Bernardus homil. 1. ſuper miſſus eſt: *Nec mediocriter,* inquit, *placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem.* Idem homil. 2. *Singularem,* inquit, *conſecuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias,* quoniam ex eodem, *Nec ſideris radijs minuit ſuam claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem.*

Legitur in Breuiario 12, Septemb.

VIRGINITAS DEIPARÆ DEO
gratiſſima, & voto et conſecrata, & à quo tempore.

S. Thom. Virginitas Deiparæ fuit ex voto.

CVm autem perfectionis opera (inquit D. Thomas 3. part. q. 28. art. 4.) magis ſint laudabilia ſi ex voto celebrentur: virginitas autem in matre Dei præcipuè debuit pollere, ideò conueniens fuit, vt virginitas eius ex voto eſſet. Deo conſecrata, & addit; Eam ſimul cum S. Ioſepho ſponſo, virginitatis votum emiſiſſe antequam annunciaretur ab Angelo, quod efficaci ratione probat Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 4. *Quia annuncianti,* inquit, *Angelo Maria reſpondit. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod profectò non diceret, niſi prius ſe Virginem Deo vouiſſet.* Idem eadem ratione probat Nyſſenus in oratione de Chriſti Natiu & Anſelmus de excell. Virg. cap 4 & Bernard. hom. 4. ſupermiſſus eſt 20

Auguſt. Luc. 1. Nyſſenus. Anſelm. Bernard.

An in lege veteri fuerint qui virginitatem ſeruarint, & qui nam fuerint.

Sed rogabit quiſpiam, an Virgo ſanctiſſima omnium prima & virginitatem ſeruarit, & virginitatis votum Deo nuncuparit, quando item illud emiſerit? Ad quod breuiter dico, in lege veteri non defuiſſe aliquos, qui virginitatem ſeruarint, virginibus quoque in templo Ieroſolymitano peculiarem ad orandum locum ab alijs mulieribus diuerſum eſſe tributum, in quo Deipara etiam poſt partum orabat, ut ex Origine, Baſilio, Nyſſeno, & alijs ſupra diximus: tamen de nullo ex ſacris litteris habetur ante Deiparam virginitatem Deo vouiſſe; etenim Maria ſoror Moyſis exiſtimatur Virgo à Nyſſeno libro de virginitate cap. 9 & ab Ambroſio lib. 1. de virgin. & epiſt. 81. cuius hæc ſunt verba: *In veteri,* inquit, *teſtamento Virgo Hebræorum per mare duxit exercitum, in nouo teſtamento Virgo regis Aula cœleſtis electa eſt ad ſalutem,* & Chryſologus ſerm. 146 indicat, eam Virginem & typum geſſiſſe Deiparæ in cantico in egreſſu ex mari rubro: quamuis Joſeph lib. 3. antiq.

Nyſſenus. Ambroſ. Chryſolog. Ioſeph de antiquit.